



Nf. 24.





120

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ  
PRORECTOR,  
CHRISTIANUS  
BENEDICTUS  
MICHAELIS.

PHILOSOPHIÆ PROFESSOR ORDIN.  
UNA CUM DIRECTORE, CANCELLARIO  
AC PROFESSORIBUS RELIQUIS,  
*CIVIBUS ACADEMICIS*

FERIARUM, CHRISTI E MORTE RESUSCITATI  
MEMORIÆ CONSECRATARUM, CELEBRA-  
TIONEM PIAM AC RELIGIOSAM  
COMMENDAT.

HALÆ MAGD.

Typis JOH. CHRISTIAN. HILLIGERI, Acad. Typ.

bu.

ACADEMIAE  
PROFESSOR  
CHRISTIANUS  
BENEDICTUS  
MICHAELIS



PHILIPPUS  
ACADEMIAE  
CIVITATIS  
THOMAS  
CONSISTORII

1715







Im mors Christi piacularis una cum  
perpeſſionibus, quæ eam ante-  
greſſæ ſunt, in veteris teſtamenti  
pandeſtis ſacris ſit quam frequen-  
tiſſime & luculentiffime prædicta;  
quæritur ab iis, qui in iisdem ad-  
huc minus exercitati ſunt, quæ ſit  
ratio rarioris ac parciſſimæ prophe-  
tiæ de reſurrectione Chriſti? Inexercitatorum verò eſſe  
hanc quæſtionem, res ipſa indicat. Qui enim ſalutis no-  
ſtræ myſteria curatiſſe perſpecta habent, uti in diverſis  
Scripturæ oraculis ſeorſum conſideratis, ſic etiam in cate-  
nato analogiæ ſuæ nexu, illis neutiſſimæ rara eſt reſurrecti-  
onis prædictio, ſed itidem luculenta & frequentiffima.  
Quam ut inveſtigent, ipſis ne opus quidem eſt difficiliore  
perſcrutatione; quanquam etiam hæc ampliffimum her-  
meneuticæ operæ pretium adferat: ſed tantum collectio  
quædam requiritur logica, eaque tantæ facilitatis ac evi-  
dentia, ut, utrum faciliſſe detur ac evidentior, non im-  
merito dubitari poſſit. Quid enim eſſe poteſt magis obvi-

una



um planumque, quam si, antecedenti ac consequenti positus, consideres, quod & quomodo facta sit consecutio. Quod antecessit, mors est una cum maximo *παθημάτων* cumulo. Quod consecutum est, nec tamen *ἀμείωτος*, est regnum Messiae, regnum non gloriae solum, sed gratiae etiam, in exaltationis statu administratum. Regnum autem est regis viventis & in gloria constituti; ergo etiam e morte excitati. Unde quam liquidissime efficitur, totidem nos habere oracula de resurrectione Christi, quot existant testimonia de Messiae regno, & de iis, quae ad hujus regni oeconomiam pertinent. Ista autem quanta in copia, quantaque cum evidentia & emphasi, nobis in scriptis Mosis ac prophetarum exhibeantur, ne illis quidem, qui tantum mediocriter in sacris litteris versati sunt, ignotum est.

Huc accedunt illa Scripturae loca, in quibus gloriosus resuscitationis & resurrectionis actus *κατὰ ἔργον* praedictus est. Quorum sufficientem exegetin cum harum paginarum angustiae non capiant, illa una atque altera observatione hermeneutica quam brevissime illustrata tantum recensuisse sufficiat. Duo nobis sistit David in psalmis: totidem e prophetis primum Iesaias, deinde Hoseas, Jobo his praeeunte. c. xix, 25. Quemadmodum jam dudum evictum est, Jobi *Goelem* esse *Messiam*: sic priora oraculi verba: *Scio Goelem, seu redemptorem, meum vivum*, haud obscure nobis insinuant Messiae resurrectionem, a Jobo creditam, quocumque sensu reliqua verba acceperis. Locum *Davidis* priorem habet psalmus xvi, 10, 11. *Non relinques animam meam inferno, nec dabis Sanctum tuum, ut videat corruptionem. Notam facies mihi viam vitae &c.* Non esse hic sermonem de Davide, inde constare potest, quod nec anima Davidis ita sensit infernum, uti  
hic



hic anima, scilicet Messia, sensisse perhibetur; nec corpus ejus expers mansit corruptionis. Quemadmodum vero Messia anima inferni cruciatus nostra causa susceptos pertulit: ita & corpus ejus, etsi sepultum fuit, incorruptum tamen permansit, & *ἐν ἀφθαρσίᾳ* resurrexit. Quo sensu optime se habet *συνέχεια* commatis 9. & 10. Postquam enim v. 9. præcessit: *Gaudet cor meum & exultat gloria mea, immo etiam corpus meum in securitate requiescet*; v. 10. subjungitur ratio a liberatione animæ inferno permiffæ, & ab ἀφθαρσίᾳ corporis, tanquam resuscitationis indice, desumpta. Quid? quod ipsius etiam vitæ e morte redditæ subjungatur mentio, quando v. 11. sequitur: *Notam mihi facies (ea scilicet cum emphasi, ut eam re ipsa, seu ipsa resurrectione, experiar) viam vitæ.* Et hunc ipsum hujus loci sensum nobis Christianis extra dubium ponit Petrus Act. 11, 24-31. uti proluxa allegatione, sic etiam luculentata ejusdem applicatione. Ceterum nomen משיח, hic de Messia adhibitum, illustrant loca de Patris in Filio *ἐvidencia* Matth. 11, 17. xvii, 5. Col. 1, 13. Alter Davidis locus est is Psalm. XXI, 15. *Vitam petiit a te (Messias) dedisti ipsi longitudinem dierum in seculum & æternum.* Quod hujus psalmi argumentum de Messia esse accipiendum, cum interprete Chaldæo etiam ipsi veteres Judæi apud R. SALOMONEM, & in *Medrasch Tillim* adv. 7. farentur, adducto loco parallelo e Dan. VII, 13, 14. Atque ita de resurrectione Messia agit allegatum comma; non de Davide; utpote qui ita mortuus est, ut corpore corruptionem subierit. Confer psalm. LXI, 7, 8.

Loca *Jesaje* hæc sunt: cap. XXV, 8. *Messias* dicitur *mortem absorpsisse in eternitatem* omnia vincentem, seu in ipsam *victoriam*. Id quod quanta cum emphasi dictum sit



fit, indicat Paulus 1. Cor. XV, 54. ubi hic locus de gloriosa  
mortuorum resurrectione accipitur, ita ut hæc resurrectio-  
nem ipsius Christi supponat; Christi, tanquam domini  
mortis; & quidem uti absorptæ in persona sua, ita obsor-  
bendæ in membris corporis sui mystici. Quid vero de re-  
surrectione Christi dici poterat illustrius, quam illud est,  
quod Jesaiæ loco altero c. LIII. legimus. Quemadmodum  
enim hic multa est mentio perpeitionum Christi, nec non  
mortis ac sepulturæ ipsius: sic verbis v. 8. *e coarctante judi-  
cio exemitus*, & ad dextram majestatis Dei *adsumtus* est,  
ejusdem restitutio in vitam commemoratur, cum effectu  
*spiritualis generationis ac seminis in æternum cum ipso  
victuri: ibid. & v. 10.*

Locus *Hosæ* prior exstat cap. VI v. 2. *In vitam nos  
restituet Messias post biduum mortis suæ*, in vitam morte  
promeritam & vi resurrectionis suæ nobis conferendam:  
*die tertio*, nimum anastasio illo, per virtutem suam vivi-  
ficam, qua ipse e morte resurrexit, *nos resuscitabit*, nos  
vitæ suæ ita facturuspaticipes, *ut vivamus coram ipso*, in  
vita gratiæ & gloriæ. Posterior capite XIII, 10. continet  
inlignè illud oraculum de *liberatione a morte & de ipsius  
mortis destructione*. Id quod ut pro emphasi sua intelliga-  
mus, uti de corpore Christi mystico, respectu gloriosi  
in vitam corporalem reditus, nobis morte piaculari parti;  
sic antea omnia de illo etiam ipso, tanquam capite, quod  
vitam e morte resumserit; & res ipsa indicat, & Paulus  
1. Cor. XV, 54, 55. confirmat. Huc vero etiam perti-  
nere illustres *typos*, præcipue eos de *Isaaco, Iosipho, virga  
Aaronis virente*, & de *Jonæ*, est notissimum, vel ipso Chri-  
sto, quod ad Jonam attinet, certissimo interprete Matth,  
XII, 29, 10. Luc. XI, 29,

Hæc




Hæc, CIVES omnium ordinum carissimi, quem in finem olim scripta & nunc repetita sint, ipsi, nobis etiam non monentibus, facile colligitis. Resurrectio mortuorum unum est e præcipuis revelatæ & christianæ religionis dogmatibus; dogma, quod quemadmodum dogmati de creatione huius universi ex nihilo respondet; ita ratione sublimitatis suæ inter res, quas novissimas vocare solemus, præcipuum obtinet locum: utpote quo posito reliqua DEI opera ultima ponuntur; nimium illa de Christi, summi judicis, adventu, de iudicio ejusdem universali, nec non vita ac morte seu pernicie æterna. Idem vero futuræ resuscitationis, in quantum hæc fidelium & gloriosa erit, dogma resurrectionis Christi fundamento inniti, re ipsa jam loquente pluribus comprobatur Paulus 1. Cor. XV. & ita quidem, ut fidem, & in fide nostri cum Christo communionem, urgeat commendetque. Fide itaque opus est in digna hujus doctrinæ meditatione, & sancta ejusdem applicatione; fide, qua e morte, quæ in peccatis est, in vitam translata spiritualem, nobis ac corruptis hujus sæculi moribus identidem morimur & Deo vivimus. De qua ut nobiscum solliciti sitis, CIVES DILECTISSIMI, est, quod vos peramanter ac serio cohortamur. Id quod cum per totius naturalis vitæ cursum nostri sit officii, imprimis feriis hisce anastasiis a nobis exigitur. Nostro quidem arbitrio relictum est, utrum nostras debiti istius partes DEI gratia succincti explere velimus, nec ne; quandoquidem ad regnum DEI, quod sua nos dignitate ac gloria per se allicit invitaturque, cogitur nemo: si tamen libertatis nostræ abusu, pro pravæ voluntatis corruptique moris licentia, isti tantæ necessitatis officio nostro defuerimus, nec spiritualis, nec æternæ  
vitæ



vitaē consortes futuri sumus unquam; resuscitandi quidem, sed ad exitium æternum. Quare qui sapit, sibi que recte vult consultum, e Dei gratia, denuo frequentiore evangelii voce per hasce ferias offerenda; DEO vivat, sibi ipsi moriens ac moriturus. PP. Halæ  
Saxonum in ipso festo anastasio.

A. c. MDCCXXV.





Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78










ACADEMIÆ  
 PROR  
**CHRIS**  
**BENE**  
**MICH**  
 PHILOSOPHIÆ  
 UNA CUM DIRECT  
 AC PROFESSO  
 CIVIBUS  
 FERIARUM, CHRISTI  
 MEMORIÆ CONSECI  
 TIONEM PIAN  
 COM

HALÆ  
 Typis JOH. CHRISTIAN



20

2

